DE
COMPARATIONUM USU
APUD
SILIUM ITALICUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS BARCHFELD,

HASSUS.

GOTTINGAE MDCCCLXXX.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

Comparationum usus, qui late patet in carminibus Homericis, hereditate quasi traditus est posteriorum aetatum poëtis, et Graecis et Romanis. Praeter ceteros vero his sermonis ornamentis utuntur poëtae epici, quod repetendum est ab epici carminis natura. Cum enim in scaenicis fabulis personas ipsas agentes cognoscamus et audiamus loquentes, denique vultus atque gestus conspiciamus, ad has res illustrandas, quae cernantur a spectatoribus, comparationes afferri nequeunt. In epicis vero carminibus personae non agunt, sed agentes describuntur ut poëtae optime uti possint comparationibus, unde apparet multo minorem esse earum numerum apud scaenicos quam apud epicos poëtas.

Origo vero comparationum Homericarum inde ducenda est, quod populi prima aetate et quasi infantia, quum nondum exculta est lingua nec idonea qua unumquodque exprimatur confugiunt ad imagines. Accedit etiam alia causa. Cum enim carmina Homeri non legerentur, sed audirentur, subsistere interdum et requiescere auditores erat necesse. Hae intermissiones efficiebantur comparationibus, quibus cogitatione aliqua repetita et simpliciore imagine proposita neque novi quidquam additur sermoni et augetur perspicuitas.

Imprimis poëtae epici Alexandrini, qui dicuntur, quos accuratissime Homericorum carminum naturam ac proprietates observasse constat, in comparationibus recipiendis praeceptorem illum sunt secuti. Neque vero illi in suis comparationibus idem quod Homerus persequuntur consilium, cum ornandi tantum causa sermonis et coloris

augendi gratia ab iis usurpentur neque perspicuitati inserviant. Decedunt eo etiam a ratione Homerica, quod non quam simplicissimas proponunt nobis comparationes, sed operam in eo consumunt ut doctrinam ostendant, quo studio magis obscuratur sermo quam illustratur.

Praeter Alexandrinos Latini quoque poëtae epici ad Homerum se applicaverunt. Vergilius et argenteae quam vocant aetatis poëtae epici summam operam et studium ad comparationes elaborandas contulerunt, ita quidem, ut alias sumptas ex Homero variarent et coloribus ornarent, alias ipsi invenirent.

Cum non defuerint, qui comparationes Homericas subtiliter pervestigarent et de materiis et de grammatica ratione instituerent quaestiones[1]), de epicorum Latinorum comparationibus quattuor tantum prodierunt commentationes[2]). Hac de causa, cum per compluria semestria in epicorum Latinorum carminibus legendis sim versatus, de comparationibus apud Silium Italicum agere, animum induxi. Neque operam perdere mihi videor quum nisi singulorum poëtarum usu circumspecto intellegi non posse, quos per aetates progressus fecerint et quomodo mutatae sint comparationes, persuasum habeam. Hanc

1) Remacly, de compp. Homer. part. II. Marcoduri 1843. idem, de generibus compp. Homer. praecipue de simplicibus. part. III. Bonnae 1846. de Velsen, de compp. Homericis. diss. inaug. Berol. 1849. Passow, de compp. Homer. diss. inaug. Berol. 1852. Lattmann, commentatio de poëtarum Graecorum imprimis Homeri comparationibus et imaginibus progr. gymnas. Gottingensis 1852. Altum, similitudines Homeri cum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis componuntur. diss. inaug. Berol. 1855. Berger, commentatio de usu modorum temporumque apud Homerum in comparationibus. Cellae 1837. Friedlaender, beitraege zur kenntnis der Homerischen gleichnisse; progr. gymnas. Fridericiani Berol. 1870.

2) Jeep, de forma comparationum apud Vergilium grammatica. progr. gymn. Holzmindeni 1826. Eppelin, über die vergleichungen bei Vergil. Lahr 1862. Krause, de P. Pap. Statii compp. epicis. diss. inaug. Halis Sax. 1871. Bussenius, de Valerii Flacci in adhibendis compp. usu. diss. inaug. Jenae 1872.

quaestionem ita instituam, ut priore capite de numero, materiis, ratione grammatica comparationum disseram, altero ostendam, quos sequatur Silius poëtas et qua imitandi ratione utatur.

Caput I.

Quum Silii Italici sermo nimis ieiunus sit et languidus, adeoque careat vigore et alacritate, ut non multum discrepet a sermone soluto, quod paucas si quidem versuum numerum respicis comparationes habet, mirum non est. Cum enim in Val. Flacci Argonauticon libris qui 5600 efficiuntur versibus 111 insint comparationes et Pap. Statius in 10872 Thebaidos et Achilleidos versibus 229 habeat, Silius in 12216 versibus 116 tantum offert.

Neque singulis in libris Silii comparationum constans numerus est, sed pro diversitate sermonis valde differt. Ubi paulo vividior extat sermo et maiore diligentia elaboratus, ibi frequentia admixta sunt haec lumina, ut ita dicam sermonis, ubi austerus et exilis, paucae tantum admittuntur comparationes. Ut exemplum afferam, liber septimus quattuordecim ornatus est comparationibus, cum tres tantum insint in libro sexto, ubi Silius Marum armigerum Reguli Serrano illius filio res in primo bello Punico gestas narrantem facit, oratione quae nulla varietate distincta est. Recte Eustathius diversitatem numeri comparationum in Iliade et Odyssea explicat his verbis: *ὅπου μὲν οὐ πολλὰ τὰ πράγματα, οὐ πολλὰς παρεισάγει παραβολάς· ἔνθα δὲ ποικιλία πραγμάτων ἐκεῖ πλεονάζει καὶ παραβολαῖς.*

Quod attinet ad numerum versuum, quibus singulae efficiuntur comparationes, non paucae unum vel duos versus implent; tribus versibus 21, quinque 20, quattuor 25 efficiuntur. Hunc plerumque numerum servasse Valerium Flaccum demonstrat Bussenius l. c. pag. 3 seq. Tres comparationes Silii septem, tres novem versuum

explent spatium. Eiusmodi tabellae quamquam per se spectatae non iuvenustae sunt et delectationem praebent legentibus, tamen laude dignae non sunt, quod nimis iis flumen interrumpitur orationis et lectores abducuntur ad rem alienam, ut perlecta comparatione quasi rursum revocent sibi in memoriam necesse sit caput rei, quod episodio interposito recessit in oblivionem.

Jam de materiis comparationum videamus. Eidem fontes, e quibus Homericae profluxerunt comparationes Latinorum quoque poëtis epicis suppeditaverunt subsidia; sunt vero natura et inanima et animata, res mythologicae, hominum studia. Plerasque vero comparationes ut ceteri sic quoque Silius petivit a natura. Huc referendi sunt ii loci quibus inveniuntur stellae (I. 358 seq. I. 461 seq. III. 192 seq. VII. 362 seq. VII. 639 seq. XII. 247 seq. XV. 677 seq.), tonitrua, fulgura, imbres (V. 384 seq. XV. 569 seq. XV. 712 seq. XVII. 474 seq.), venti (I. 468 seq. III. 227 seq. IV. 244 seq. IV. 321 seq. VI. 321 seq. VII. 569 seq. IX. 281 seq. XII. 186 seq. XIV. 121 seq. XV. 154 seq. XVI. 384 seq. XVII. 207 seq.), amnes (IV. 520 seq. VII. 139 seq. VIII. 426 seq. XII. 186 seq. XIV. 143 seq. XV. 712 seq. XVI. 35 seq. XVII. 121 seq.), denique incendia, terrae hiatus, alia.

Neque minus animalium natura utitur Silius. Habet enim unumquodque animal proprii aliquid, quo praeter caetera excellit. Sic leones audacia et robore, equos celeritate, tigres caedis cupiditate praecipue esse praeditos novimus et quotiens commemorantur haec animalia venit nobis in mentem illius virtutis. Hac de causa, ubi describitur aliqua virtus vel vitium aliquod in hominibus, repetunt poëtae imagines ab iis animalibus, in quibus eadem inest natura. Quamquam nonnullas huius generis comparationes Silii ineptas esse concedendum est, tamen in aliis poëtam diligenter observasse animalium naturam nequit negari. Ex animalibus affert imprimis feras bestias ut leones (II. 683 seq. IV. 372 seq.

V. 309 seq. X. 124 seq. X. 241 seq. XI. 243 seq. XII. 458 seq.), tigres (IV. 331 seq. V. 280 seq. X. 293 seq.), ursos (IV. 563 seq.), lupos (VII. 717 seq.), apros (I. 421 seq.). Animalia domestica, ut hac voce utar, perpaucis tantum inveniuntur locis: equi (XV. 210 seq.), tauri et iuvencae (IV. 302 seq. et XVI. 4 seq.), canes (X. 77 seq.) Ex avibus habet Silius in comparationibus aquilas (X. 108 seq. XII. 55 seq.), olores (XIV. 189 seq); nonnullae comparationes petuntur a serpentibus (III. 208 seq. XII. 6 seq. XV. 485 seq. XVII. 447 seq.). Semel inveniuntur apes (II. 215 seq.). Arbores non nisi uno loco in comparatione insunt X. 164 seq.

Jam progrediamur ad perlustrandas mythologicas comparationes. Cum Homerus quam simplicissimis comparationibus ea quae narrat adumbrare studeat et illustrare et ab iis rebus, quae semper in conspectu sunt, melius petantur comparationes, quam ab iis quae auditu tantum sunt notae, quod mythologicum genus perraro apud illum invenitur, mirandum non est. Epicos vero Romanos ab hoc genere abstinere non erat necesse, cum non multitudini scriberent, sed eruditis offerrent carmina, quos rerum mythologicarum peritos esse haud ignoraverunt. Huc spectare differentiam usus, quae intercedit inter Homerum et epicos Latinos, neque ad morum corruptelam eam esse revocandam, ut Krause l. c. pag. 6 seq. affirmat, mihi quidem est persuasum. Latissime mythologicarum comparationum usus patet apud Valerium Flaccum; paulo minor est numerus apud Pap. Statium. Silius vero, si respicis carminis magnitudinem, habet paucas, 16 enim apud eum inveniuntur. Laudandus est quod abstinuit obscuris fabulis et ignotis, quas a Pap. Statio et Val. Flacco magnopere amari Bussenius l. c. pag. 8. ostendit.

Inveniuntur autem in comparationibus mythologicis Juppiter (IX. 305 seq.), Neptunus (III. 410 seq. VII. 254 seq.), Pluto (VII. 688 seq.), Mars (I. 433 seq. XVII. 487 seq.), Liber et Hercules (XVII. 647 seq.), Diana (XV. 769 seq.); prae-

terea insunt furiae (II. 671 seq.), Orcus (III. 483 seq.); a gigantibus, titanibus, similibus (IV. 275 seq. VI. 181) seq. petitae sunt.

His comparationibus addimus eos locos qui pertinent ad res heroum temporibus gestas, ut ad bellum Troianum III. 227 seq. VII. 120 seq. VIII. 619 seq. XIV. 479 seq. Rem historicam attingit X. 321 seq.

Denique affero eas comparationes, quae a vita studiisque hominum sunt petitae et ad exterorum populorum spectant mores. Fluxerunt vero nonnullae a vita nautarum (I. 687 seq. II. 289 seq. III. 535 seq. IV. 713 seq. X. 608 seq.) et piscatorum (V. 47 seq. VII. 500 seq. XIV. 623 seq.). Aliae in pastores (VI. 329 seq. VII. 126 seq.), venatores (VII. 674 seq. X. 18 seq.), aurigas (VIII. 279 seq.) cadunt.

Domesticae vitae rationem tangunt (V. 605 seq. VII. 143 seq. IX. 41 seq.)

Ad exterorum populorum mores respiciunt I. 324 seq. quae a Dacis, II. 73 seq. quae a Thressis et Edonidibus, II. 73 seq. et VIII. 426 seq. quae ab Amazonibus petitae sunt.

Hac de materiis quaestione absoluta, quas ad personas singulae pertineant comparationes et quibus in rebus illustrandis versentur, mihi est exponendum.

Ac primum quidem imperatores et Romanorum et Karthaginiensium poëta extollit laudibus. Neque solum animi praestantia eorum atque virtutes, sed etiam corporis habitus et arma comparationibus exornantur. Aliae cadunt in Hannibalem (I. 324 seq. I. 433 seq. I. 461 seq. I. 468 seq. III. 208 seq. V. 47 seq. V. 605 seq. VII. 500 seq. XI. 243 seq. XII. 6 seq. XVI. 4 seq. XVII. 447 seq.) aliae in Fabium (I. 687 seq. VII. 126 seq. VII. 254 seq.), Aemilium Paulum (IX. 41 seq. X. 2 seq. X. 18 seq. X. 77 seq. X. 241 seq. X. 293 seq.), Marcellum (XIV. 121 seq. XIV. 189 seq.), Scipionem (XV. 210 seq. XVII. 487 seq. XVII. 647 seq.). Ex militibus ei qui virtute excellunt comparationibus efferuntur (IV. 275 seq. X. 124 seq. X. 164 seq.)

De rebus quae illustrantur comparationibus pauca verba faciemus. Celeritatem illuminat usus imagine cervi III. 294 seq. vel Boreae et sagittae X. 10 seq., vel leaenae XII. 458 seq., vel volucris et navis Liburnae XIII. 240 seq., vel equi Olympici XV. 210 seq. vel sagittae, fulminis, undae XV, 569 seq.; providentiam tribus comparationibus sumptis a vita nautarum et pastorum, illustrat: (I. 687 seq. II. 289 seq. VII. 126 seq.), dolum bis comparatione piscatoris (V. 47 seq. et VII. 500 seq.). Praeterea describitur fuga (II. 215 seq. IV. 302 seq. IV. 331 seq. V. 280 seq.), impetus pugnandi (IV. 372 seq. IV. 520 seq. IV. 560 seq.), clamor pugnantium (IX. 305 seq.), fragor (I. 370 seq. IV. 295 seq.), terror (I. 461 seq. XVII. 474 seq.), alia.

Solent poëtae epici uti comparationibus a rerum natura petitis ad affectus et animi motus depingendos. Eiusmodi loci iam apud Homerum inveniuntur, qui Il. IV. 23 seq. et XXIII. 598 seq. Menelai laetitiam, IX. 3 seq. Achivorum tristitiam, X. 5 seq. Agamemnonis cogitationes, Od. IV. 791 seq. meditationes Penelopae illustrat. Latius is usus serpsit apud Apollonium Rhodium, qui septies eiusmodi usurpavit comparationes. Duos locos apud Vergilium inveni, Aen. VII 462 seq. et VIII. 22 seq., duos apud Silium V. 605 seq. et VII. 143 seq.

Haud raro complures comparationes ad unam rem illustrandam congeruntur. Valde est mirandum quod in nonnullis eiusmodi comparationibus discrepant materiae, quae ex diversis locis petitae sint; sic III. 227 seq. comparatur ingens agmen Hannibalis priore loco cum violentia procellae, altero cum bello Troianorum, comparatio igitur a natura petita coniungitur cum mythologica. Aliae ita sunt compositae ut altera e natura fluxerit, altera hominum studia tangat. (X. 10 seq. et XV. 569 seq.). Neque vero de omnibus ita est statuendum, cum aliae artiore inter se nexae sint vinculo, ut II. 215 seq. V. 280 seq. quae a natura animata, XII. 186 seq. XIV. 143 seq. XV. 712 seq. quae a natura inanima sunt

petitae, VI. 181 seq. IX. 305 seq. XVII. 647 seq., quae ad mythologiam pertinent. Nonnullis locis Silius plus quam duas comparationes coniungit: tres in venies V. 280 seq. XII. 186 seq. XIV. 143 seq. quattuor XV. 569 seq. XVI. 35 seq., quinque XV. 712 seq. Apparet non potuisse fieri ut tres vel quattuor comparationes in unum locum congestae accuratius tractarentur, cum ita orationis nexus nimis distraheretur; hanc ob causam paucis tantum verbis continentur neque duorum vel trium versuum spatium excedunt tales loci. Semel coniunxit Silius duas comparationes ad diversas res significandas. VIII. 426 seq., altera comparatione multitudo, altera celeritas Picentum illustratur. In coacervandis comparationibus Vergilius eam legem tenet, ut ea comparatio, quae gravior est, sequatur reliquas et extremum obtineat locum, cum ita valde augeatur vis comparationum. Silius quamquam nonnullis locis hoc praeceptum tenuit, tamen aliis quod quidem vituperandum est, inverso ordine infringit vim comparationum (V. 280 seq. X. 10 seq. XV. 569 seq. XV. 712 seq. XVI. 102 seq.). Nonnullis locis Silius priusquam explicatiore utitur comparatione, imaginem affert, quae sequenti comparatione quodammodo repetitur: I. 358 et 360 seq.; XIII. 238 et 240 seq.

Non alienum videtur ab hac re paucis verbis disputare de ordine, qui intercedit inter comparationem et rem comparatam, et de loco versus unde initium capiunt comparationes.

Omnibus fere locis comparationi ante cedit res comparata, novies tantum decessisse ab hac lege Silium invevi; sunt vero hi loci: III. 192 seq. III. 208 seq. III. 307 seq. III. 483 seq. IV. 275 seq. IV. 563 seq. VI. 181 seq. X. 2 seq. XVI. 96 seq.

Initium capiunt pleraeque comparationum ab ineunte versu. Nonnullis vero locis hanc normam neglexit Silius. Incipiunt enim octo comparationes post caesuram penthemimeren III. 535 seq. VIII. 279 seq. IX.

41 seq. IX. 623 seq. X. 18 seq. XV. 569 seq. XV. 784 seq. XVII. 207 seq., decem post caesuram hephthemimeren III. 227 seq. IV. 372 seq. V. 280 seq. VII. 126 seq. VIII. 426 seq. X. 164 seq. X. 293 seq. XII. 6 seq. XVI. 384 seq. XVII. 121 seq., una post trithemimeren caesuram XVI. 96 seq., una post quartum, una post primum dactylum I. 370 seq. et XVI. 102 seq.

Paucis locis vim comparationis augere studet Silius cum addit eis sensum negativum III. 227 seq. III. 307 seq. VII. 569 seq. VIII. 426 seq. IX. 319 seq. XIV. 143 seq. XVI. 102 seq.

Sequitur ut quaeramus, qua Silius arte in comparationibus suis componendis usus sit.

Cum, quod iam supra diximus, non novi quicquam comparationibus addatur sermoni sed repetatur cogitatio aliqua imagine usurpata, ut clarior ille et perlucidior fiat, pendere comparationes ab iis rebus, ad quas illuminandas sint allatae, neque declinare debere a sermone, luculenter apparet. Neque vero ea lex semper observatur a poëtis, sed haud scio an plures comparationes inveniantur apud epicos poëtas, quae a vera ac simplici natura recedunt, quam quae accurate sunt conformatae, ita ut sequantur rei illustrandae ordinem. Ut cognoscas quomodo haec sint intellegenda, de nonnullis comparationibus accuratius videbimus. Ac primum quidem afferam comparationes quarum singulae partes accurate respondent eis partibus sermonis, quae imagine illustrantur.

Sil. VI. 329 seq. Xanthippus, qui partem exercitus abdiderat ficto timore vertit terga, ut Regulus in insidias incurreret:

Haud secus ac stabulis procurans otia pastor
In foveam parco tectam velamine frondis
Ducit nocte lupos positae balatibus agnae.

Respondent sibi singula hoc modo:

Xanthippus —	Regulus —	abdita pars exercitus —	fictus timor:
pastor —	lupus —	fovea —	agna.

Sil. VII. 126 seq. Hannibal Fabium ad pugnandum

lacessit qui nimis cunctabatur et dimicare verebatur. Is autem cohibet suos milites neque patitur manus cum hostibus conseri:

Ceu nocte sub atra
Munitis pastor stabulis per ovilia clusum
Impavidus somni servat pecus; effera saevit
Atque impasta truces ululatus turba luporum
Exercet morsuque quatit restantia claustra.

Singula ita sibi respondent:

Fabius —	Romani milites —	Hannibal cum suis militibus:
pastor —	pecus —	turba luporum.

Conferas praeterea hos locos, ad quos parem attulit poëta diligentiam: I. 687 seq. II. 73 seq. II. 289 seq. V. 395 seq. VII. 254 seq. VII. 717 seq. IX. 605 seq. X. 18 seq. X. 124 seq. X. 164 seq. X. 241 seq. X. 294 seq. XI. 243 seq. XII. 6 seq. XIV. 623 seq. XVII. 121 seq.

Jam unum ex iis locis afferam, qui melius congruere debebant cum iis rebus, quae antecedunt:

Sil. I. 421 seq. Murrus, postquam multos Karthageniensium interfecit, ipsum Hannibalem provocat ad pugnandum:

Fulmineus ceu Spartanis latratibus actus
Quum silvam occursu venantum perdidit, hirto
Horrescit saetis dorso et postrema capessit
Proelia, canentem mandens aper ore cruorem:
Jamque gemit geminans contra venabula dentem.

Quamquam altera pars comparationis vituperanda non est, prior non consentit cum iis, quae antecedunt. Si urgeretur Murrus a Karthaginiensibus et ita in Hannibalem incurreret, bene res se haberet, sed quod nullo cogente impetum facit, comparatio non satis accurata est.

Tertium comparationis, quod dicitur, quamquam in re illustranda et in comparatione debet inesse, in illa non invenitur sed e comparatione tantum elici potest nonnullis locis; cf. V. 384 seq. et VI. 321 seq.

Haud raro poëtae epici res in comparationibus prolatas latius persequuntur quam opus est, quasi rem in-

choatam non imperfectam velint relinquere. Hoc studio quamquam colorem poëticum atque splendorem aspergi sermoni negari nequit, tamen vituperandae magis quam laudandae sunt tales picturae, quod nimis ei sermo interrumpitur. Silius quamquam eius generis comparationibus non prorsus abstinuit, tamen non saepe iis utitur. Perlustremus nonnulla exempla:

Sil. I. 468 seq. Hannibali appropinquanti cedunt omnes et utraque trepidat acies:

> Sic ubi Aegaeo surgente ad sidera ponto
> Per longum vasto Cori cum murmure fluctus
> Suspensum in terras portat mare; frigida nautis
> Corda tremunt; sonat ille procul flatuque tumescens
> Curvatis pavidas tramittit Cycladas undis.

Sufficeret, si diceret poëta, Hannibalem tantum inicere hostibus timorem, quantum tempestates in nautis excitare solerent. Neque vero satis habet significasse tempestatis imaginem sed verbose perscribit quibus in rebus ventorum vis cognoscatur.

Sil. II. 683 seq. Poëta describit stragem quam Saguntini in ipsorum urbe fecerunt:

> Ceu stimulante fame, quum victor ovilia tandem
> Faucibus invasit siccis leo, mandit hianti
> Ore fremens imbelle pecus, patuloque redundat
> Gutture ructatus large cruor; incubat atris
> Semesae stragis cumulis aut murmure anhelo
> Infrendens laceros inter spatiatur acervos.
> Late fusa iacent pecudes custosque Molossus
> Pastorumque cohors stabulique gregisque magister
> Totaque vastatis disiecta mapalia tectis.

Nimiam Silius attulit diligentiam ad exornandas eas res, quae non necessariae sunt. Vide quam accurate descripserit leonis impetum, cum vertatur cardo totius comparationis in vastatione. In eandem rationem cadunt IV. 244 seq. IV. 302 seq. IV. 331 seq. IV. 372 seq. IV. 520 seq. XII. 458 seq. XV. 769 seq.

Silius plerumque ita composuit comparationes, ut

eae res, quae proponuntur in illis, accomodatae sint rebus illustrandis ac dignae. Nonnulli vero loci ab hac ratione .abhorrent:

Sil. XIV. 189 seq.

Haud secus Eridani stagnis ripave Caystri
Innatat albus olor pronoque immobile corpus
Dat fluvio et tacitas pedibus eremigat undas.

Marcellus qui, quamquam destitit ab oppugnatione Syracusanorum, tamen suis rebus timet atque consilia versat animo, comparatur cum olore cuius corpus illud quidem non videtur moveri, sed pedes sempiterno iactantur motu. Res magis obscuratur quam illustratur hac comparatione.

Sil. VII. 120 seq.

Ut Thetidis proles Phrygiis Vulcania campis
Arma tulit, clipeo amplexus terramque polumque,
Maternumque fretum, totumque in imagine mundum.

Mira haec comparatio est. Hannibal enim ad pugnandum lacessit Fabium quum obequitans eius castris et emittens hastam simulacra quasi edit pugnae. Haec comparantur cum eis rebus, quae in scuto Achillis sculptae erant. Tertium comparationis in eo versatur quod, ut in illo scuto non res ipsae, sed imagines tantum rerum expressae erant, sic Hannibal non veras pugnas sed fictas ac vanas edidit.

Longe petita magis quam pulchra est illa comparatio XV. 485 seq. e qua cognoscere possis Silium non accurate novisse fibrorum naturam, sed vulgi opinionem secutum esse.

Obscoenas comparationes, quales apud Pap. Statium inveniuntur (cf. Krause l. c. p. 20) Silius non habet.

Poëtas Romanos in comparationibus haud raro artis habuisse rationem (cf. Propert. I. 3. 1) notum est. Apud Silium unum exemplum in venisse mihi videor, quod huc referri possit: XI. 245 seq. Haec comparatio versatur in illustrando Hannibale, qui ubi Capuam intravit,

Decium in vincula coniecit quod fidem Romanis praestandam esse censuerat:

Illatus velut armentis super ardua colla
Quum sese imposuit, victorque immane sub ira
Infremuit leo et immersis gravis unguibus haesit
Mandit anhelantem pendens cervice iuvencum.

Eum, qui operam dedit archaeologiae non effugiet, quanta similitudo intercedat inter huius loci materiem et imagines in nummis Acanthiorum expressas.

Non praetermittendum videtur esse, quod Silius, ut alii quoque poëtae epici solent facere, in comparationibus pro notionibus generalibus et universis utitur singularibus. Hoc usu et dilucidior fit sermo et venustior. Nam quum, ut exemplo utar in significanda vi ventorum dicit de Borea, certa ac definita nostro animo proponitur imago, neque cogimur meditari de diversis ventis nec cuius maxima sit vis quaerere. Augetur vero sermonis venustas, quod plerumque adiciuntur eorum marium vel terrarum nomina, in quibus Boreae vastationes imprimis cernuntur. Neque vero hic usus apud Silium tam late patet quam apud alios poëtas epicos, cum saepenumero noster acquiescat in notione universa.

Videamus exempla: animalibus additur eius terrae significatio in qua praecipue inveniuntur, non raro superaddito incolarum nomine: X. 124: Libyca fetam tellure leaenam venator premit Maurus IV. 372: Ceu, quum bella leones movent, fugit Maurus coniuxque Libyssa; (abstinuit Silius singulari leonum significatione II. 683 seq. V. 309 seq. X. 241 seq. XI. 243 seq.); IV. 331: Sic ubi Caucasiis tigris se protulit antris; XII. 458: amisso tigris si concita fetu emicet, attonitae paucis lustratur in horis Caucasus et saltu tramittitur Ganges (inde colligere possumus geographiae non peritissimum fuisse Silium, qui Gangem prope ad Caucasum fluere putet); V. 280: ceu tigride cerva Hyrcana quum pressa tremit; (X. 293 terrae significatio desideratur); XVII. 447: qualis in aestiferis Garamantum Attollit campis colla Paraetonius ser-

pens; I. 421 ceu Spartanis latratibus actus aper; II. 683: custosque Molossus; X. 77: canis Belgicus.

Ubi ventorum fit mentio, earum terrarum eis adiungitur significatio, in quibus praecipue saeviunt: I. 468 coniunguntur: Aegaeus pontus — Corus — Cyclades; XV. 154. Corus — Jonium et Aegaeum mare; IV. 244. Geticus Boreas — Jonium mare — Cyclades; VII. 569: Odrysius Boreas et Syrtim tollere pollens Africus X. 10: Boreas Haemonius, XIV. 121: Boreas Rhodopes a vertice praeceps; XII. 6: Rhipaea rigent Aquilonis flamina (Significatio terrae deest: I. 687 seq. II. 289 seq. IV. 321 seq. V. 504 seq. XII. 186 seq. XIV. 623 seq. XV. 711 seq. XVI 96 seq.)

In deis commemorandis adamat Silius eas proferre terras, quae sacrae singulis credebantur esse et in quibus maxime colebantur vel in quibus praeclaras egerant res: I. 433. quantus Bistoniis late Gradivus in oris rapitur curru; XVII. 487: qualis apud gelidum currus quatit Hebrum et Geticas solvit ferventi sanguine Mavors Laetus caede nives; XV. 769: Ut quum venatu saltus exercet Dictynna aut Pindi nemora excutiens aut Maenala lustrans; XVII. 647: qualis descendens Liber ab Indis egit currus aut quum Phlegraeis confecta mole gigantum incessit campis Tirynthius.

Eandem rationem persecutum esse in suis comparationibus Papinium Statium demonstrat Krause l. c. pag. 23—25.

Saepius ut augeatur sermonis splendor veritatem egreditur Silius et vanitate ac tumore delectatur. Egregia exempla invenies V. 395 seq. et XVII 592 seq.

Restat ut doceamus comparationum Silii qualis sit forma grammatica. Hanc quaestionem ita instituemus, ut altera parte ostendamus, qua ratione usus sit in modis ac temporibus, altera quo modo singulae comparationes in sermonem sint insertae.

Si componimus numerum earum comparationum, in quibus indicativus modus est, cum eis, quae coniunctivum

habent, illum modum in plurimis usurpatum esse, hunc in perpaucis tantum extare inveniemus. Eodem modo res se habet apud Vergilium (quod docuit Justus Jeepius, l. c. pag. 26) et apud Papinium Statium (Krause l. c. pag. 36) et apud Valerium Flaccum (Bussenius l. c. pag. 16). Differunt vero modi inter se ita, ut indicativus exprimat ea, quae nobis proponuntur tamquam si vere fiant, coniunctivus autem ea, quae fieri tantum cogitantur, ita quidem, ut utrum re vera fiant nec ne, non intersit. Ea autem, quae re vera fiunt, possunt ita proponi, ut quoquo modo fiant, aut condicione aliqua restringantur.

Valerius Flaccus et Papinius Statius nonnullis locis miscuerunt modos (Krause l. c. pag. 38. Bussenius l. c. pag. 16), Silius hoc facere non est ausus.

Temporum quoque ratio apud Silium est simplicissima. Earum comparationum, quae modum indicativum habent, longe plurimae habent tempus praesens, quo ea imprimis significantur, quae in natura et animata et inanima solent fieri; tempore perfecto octies usus est in comparationibus mythologicis et historicis ad significandas eas res, quae semel tantum acciderunt: IV. 275 seq. VI. 181 seq. VII. 120 seq. VII. 688 seq. VIII. 619 seq. IX. 305 seq. XIV. 479. seq. XVII. 592 seq.

Nonnullis locis tempus praesens una cum tempore perfecto in eadem comparatione invenitur: II. 73 seq. II. 671 seq. IV. 302 seq. V. 384 seq. VII. 569 seq. X. 321 seq. Non pertinet huc III. 227 seq. ubi tempora mutantur quod altera comparatio a natura petita est et rem significat, quae saepius potest evenire, altera, quae ab historia petita est, rem semel factam enarrat.

Semel invenitur tempus imperfectum VII. 596 seq.

Neque plusquamperfectum tempus, quod Valerium Flaccum I. 406 usurpasse video, neque futurum, quo Vergilius Aen. II. 206 et 451, ecl. VIII. 27 et X. 54 usus est, invenitur apud Silium.

Tempora modi coniunctivi paucis verbis possunt absolvi.

Tempus praesens uno tantum loco extare inveni: I. 224. Tempus perfectum invenitur III. 307 et XVI. 102 seq. Tempus imperfectum non paucis locis est, atque plerumque quidem eae comparationes breves sunt cf. XI. 12 seq. et XIII 238 seq.

Ut ex iis, quae protulimus simplicissimam esse temporum ac modorum rationem apud Silium elucet, sic ex iis, quae sequuntur, in inserendis quoque comparationibus Silium neglexisse varietatem, quam exempli causa Papinius Statius in suis comparationibus studio atque industria quaesivit (Krause l. c. pag. 34 et 38), intellegemus.

Ubi comparatio et res comparata sibi respondent particulis, quod quidem rarissime fit apud Silium, comparatio antecedere solet rei illustrandae. Fit autem responsio per:

Quantus (non) — tantus III. 192, III. 208, IV. 275;
Quantum — tam longa III. 483;
Qualis — aut quantus — qualisque — tantus VI. 181;
Quantumque quum — aut quum — tantum XVI. 96;
Ceu haud secus IV. 372;
Ut haud secus IV. 564.

Uno loco extat talis responsio, quamquam comparatio sequitur rem comparatam: Nec magis — quam si IX. 319.

Jam ad eos accedamus locos, quibus comparatio sequitur rem comparatam, quae particulis comparativis caret; coniunctio fit per:

Qualis: I. 358, II. 73, VII. 596, XIII. 200, XIV. 479, XVII. 447, XVII. 487.

Qualis quum: VII. 139. Qualis ubi: II. 671, VII. 639. Talis ubi: I. 468. Quantus: I. 433, XIII. 240. Tantus quum: VIII. 620.

Ut: I. 324, I. 461, I. 687, II. 289, IV. 520, IV. 563, IV. 776, VII. 120, VIII. 467, XIV. 61.

Ut quum: VII. 254, X. 18, X. 77, XV. 154, XV. 677, XVI. 4, XVII. 474.
Ut ubi: V. 605. Ut si: IV. 713.
Sicut: VII. 143. Sic ubi: IV. 331, V. 384, VI. 321, IX. 281, X. 321, XIII. 24, XV. 210, XVII. 592. Sic quum: III. 535.
Veluti: XV. 484. Veluti quum: VIII. 279. Velut quum: XI. 243. Ac veluti quum: IV. 302.
Ceu: IV. 560, VII. 126, X. 2, X. 293, XI. 12, XIII. 238, XVII. 121; Ceu quum: I. 421, II. 683, III. 294, IV. 244, VII. 688, VII. 717, IX. 41, IX. 358, X. 164, X. 241, XIV. 623, XV. 784, XVI. 384, XVII. 207. Ceu ubi: V. 504. Ceu dum: XII. 6.
Haud aliter: I. 370, IV. 295. Haud aliter quum: X. 108, XVII. 416. Non aliter quum: IX. 605, XIV. 121. Non aliter quam: VII. 500. Non aliter quotiens: III. 410.
Haud secus: XIV. 189. Haud secus ac: V. 47, VI. 329, XVII. 216. Haud secus si: XII. 55, XII. 458. Haud secus ac si: X. 608. Haud secus quum: V. 309. XII. 247. Haud secus ac quum: X. 124, XVII. 504.

Adiectivorum quoque comparativi et substantiva funguntur vice particularum comparativarum. Nonnulla exempla afferre satis habeo:
Non ferventior I. 224; non gravior VII. 569; velocior III. 292; citatior IV. 6; saevior VI. 175; ritu I. 356; hac vice ubi IV. 321.

Nonnullis locis ex verbo quasi supplenda est particula III. 307: cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis, XVI. 102: haud ullus terrarum aequarit hiatus pugnarum damna.

Complures comparationes ita componuntur, ut aut aliae alias excipiant sine coniunctionibus (VII. 362: quam multa — quam multa; XII. 186: improbus ut — ut — ut; XV. 712: ut — ut — ut — ut — ut quum) aut aliae careant coniunctionibus, aliae adnectantur coniunctionibus copulativis (XVI. 35: ut — ut — que —

et — ut) aut coniunctiones copulativae usurpentur (III. 227: non ulla nec unquam saevior it — nec acrius; VIII. 426: non tam creber — nec leviore; X. 10: velocius Borea pennaque citatior; XV. 570: et penna et fulmine et undis velocior) aut disiunctivae (II. 215 sicut — aut ubi; V. 280: ceu quum — vel — aut si; IX. 305: quantas — aut quanta quum; XII. 229: quale — vel qui; XVI. 102: haud ullus aequarit hiatus — aut strages tot dederit; XVII. 647: qualis — aut quum) aut disiunctivae una cum copulativis (VI. 181: quantis — aut quantus — qualisque).

Caput II.

De imitationibus.

Ut recte iudicare possimus de virtutibus comparationum Silii, necesse est cognoscamus, quae ex ipsius ingenio sint profectae et quas ex aliorum poëtarum carminibus hauserit. Hac autem in quaestione non solum quos poëtas imitatus sit et quas comparationes petiverit, ostendemus, sed etiam de imitandi ratione disputabimus.

Quum investigare volumus imitationes in comparationibus de materiis, de tertio comparationis, quod vocatur, de forma atque habitu grammatico est videndum. Si enim poëtae, ubi aliorum vestigia premunt, ita eos imitarentur, ut omnibus rationibus cum illis congruerent, non necesse esset investigari comparationes, sed manifestae essent. Sed res aliter se habet. Non enim transferunt aliorum locos in sua carmina poëtae, sed sententias et formam, quocunque modo fieri potest, immutant, sive volunt occulere imitationem, sive mutatione ostendere facultates suas et superare illos.

Ac primo quidem loco afferemus comparationes quas Silius ab aliis poëtis mutuatus est ita, ut consentiant

res comparatae et tertium comparationis cum exemplari. Sil. II. 683 seq.

Ceu stimulante fame quum victor ovilia tandem
Faucibus invasit siccis leo, mandit hianti
Ore fremens, inbelle pecus patuloque redundat
Gutture ructatus large cruor — e. q. s.

Verg. Aen. IX. 339 seq.

Impastus ceu plena leo per ovilia turbans,
Suadet enim vesana fames, manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu, fremit ore cruento.

Silius Saguntinorum, Vergilius Euryali caedes describit. Praeter hunc locum Silio videtur ante oculos fuisse Verg. Aen. X. 723 seq. ubi Mezenti impetus cum leonis impetu comparatur. Vergilius vero usus esse videtur Homerica comparatione, quae invenitur Il. XII. 299 seq. (Ad illustrandum Silii locum non possunt afferri Hom. Il. XV. 323 seq., Od. VI. 130 seq.)

Sil. V. 605 seq.

Ut multo accensis fervore exuberat undis,
Clausus ubi exusto liquor indignatur aëno.

Verg. Aen. VII. 462 seq.

magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aëni,
Exultantque aestu latices, furit intus aquai
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis.
Nec iam se capit unda, volat vapor ater ad auras.

Tertium comparationis versatur in describenda ira atque furore. Hannibal propter Sychaeum mortuum, Turnus taeda Allectus exardescit ira. Quamquam Silius rem suam contraxit, tamen imitatio perspicua est et manifesta [1]).

---

1) Lineamenta huius comparationis Vergilianae extant apud Homerum. Il. XXI. 362 et 364:

ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ
πάντοθεν ἀμβολάδην, ὑπὸ δὲ ξύλα κάγκανα κεῖται —

sed Vergilio merito est tribuendum, quod ad affectus describendos hunc locum transtulit, cum Homerus eo utatur in Xanthi descriptione Vulcani flammis ebullientis.

Huic loco adiungimus: Sil. VII. 143 seq.

Sicut aquae splendor radiatus lampade solis
Dissultat per tecta vaga sub imagine vibrans
Luminis et tremula laquearia verberat umbra.

Verg. Aen. VIII. 22 seq.

Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aënis
Sole repercusso aut radiantis imagine lunae
Omnia pervolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur summique ferit lacuaria tecti.

Aeneae altera, altera comparatione Hannibalis fluctuans animus depingitur, qui diversissima consilia versans ad alias ab aliis cogitationibus salit, ut ita dicam. Tertium comparationis versatur in celeritate. Hoc loco Silius ita est usus, ut primo oculorum obtutu imitatorem agnoscas, cum omnia fere Vergilii verba depromserit, sed ita, ut rationes atque locos singulorum verborum omnibus in partibus mutaret[1]).

His locis adiungere possumus Sil. IV. 372 seq. et Verg. Aen. XII. 715 seq. Res comparatae congruunt, quod apud utrumque poëtam certamen singulare illustratur. Tertium comparationis in describenda atrocitate pugnae positum est. Quamquam luculenter apparet Vergili vestigia premere Silium in exprimendis sententiis, tamen singula adeo variavit, vix ut imitationem agnoscere possis. Quod enim non tauros, ut Vergilius, habet in imagine, sed leones hac ipsa de causa ab exemplari suo decedere cogebatur. Sententiarum vero ordo apud utrumque par est: Sil. IV. 372—373 respondent Verg. XII. 715—717 (usque ad verba: frontibus incurrunt);

1) Vergilius hanc suam comparationem petivit ab Apollonio Rhodio, qui describit Medeae animum propter Jasonem valde commotum, his verbis: Argonaut. III. 756 seq.

Ἠελίου ὥς τίς τε δόμοις ἐνιπάλλεται αἴγλη,
Ὕδατος ἐξανιοῦσα τὸ δὴ νέον ἠὲ λέβητι
Ἠέ που ἐν γαυλῷ κέχυται· ἡδ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα
Ὠκείῃ στροφάλιγγι τινάσσεται ἀΐσσουσα.

Lucretianus quoque locus IV. 212 notus ei videtur fuisse.

continetur vero his caput totius comparationis; Sil. IV. 374—376 et Verg. XII. 717—719 describunt spectantium timorem; Sil. IV. 377—378 et Verg. XII. 720—722 accuratius tractant de pugnae ratione.

Jam comparationes afferemus in quibus res comparatae non congruunt cum exemplari.

Sil. I. 356 seq.

Fulminis haec ritu, summis e moenibus arcis
Incita, sulcatum tremula secat aëra flamma.
Qualis sanguineo praestringit lumina crine,
Ad terram caelo decurrens, ignea lampas.

Apollon. Rhod. III. 1376 seq.

Οἷος δ'οὐρανόθεν πυρόεις ἀναπάλλεται ἀστὴρ
Ὁλκὸν ὑπαυγάζων τέρας ἀνδράσιν, οἵ μιν ἴδωνται,
Μαρμαρυγῇ σκοτίοιο δι' ἠέρος ἀΐξαντα.

Silius phalaricae, Apollonius Jasonis irruentis in hostes celeritatem illustrat.

Sil. IX. 605 seq.

Non aliter, Pindo Rhodopeve incendia pastor
Quum iacit, et silvis spatiatur fervida pestis,
Frondosi ignescunt scopuli, subitoque per alta
Collucet iuga dissultans Vulcanius ardor.

Verg. Aen. X. 405 seq.

Ac velut optato ventis aestate coortis
Dispersa immittit silvis incendia pastor,
Correptis subito mediis extenditur una
Horrida per latos acies Vulcania campos;
Ille sedens victor flammas despectat ovantes.

Apud Silium ignis in turribus elephantorum accensus, apud Vergilium pugna comparatur. Tertium comparationis vertitur in crescendo.

Sequuntur nonnulli loci, quibus Silius usus ita est, ut tertium comparationis mutaret.

Sil. I. 461 seq.

Crine ut flammifero terret fera regna cometes,
Sanguineum spargens ignem; vomit atra rubentes

Fax caelo radios, ac laeva luce coruscum
Scintillat sidus, terrisque extrema minatur.

Verg. Aen. X. 272 seq.

Non secus ac liquida si quando nocte cometae
Sanguinei lugubre rubent aut Sirius ardor
Ille sitim mo bosque ferens mortalibus aegris,
Nascitur et laevo contristat lumine caelum.

Comparantur utroque loco arma heroum cum stellis. Apud Silium vero terror, qui in nutante crista Hannibalis cernitur, cum cometae terrore comparatur, apud Vergilium cristae et scuti Aeneae fulgor cum Sirii et cometae fulgore, sed ita ut terroris quoque fiat mentio.

Sil. V. 309 seq.

Haud secus, e specula praeceps delatus opaca,
Subsidens campo submissos contrahit artus,
Quum vicina trucis conspexit cornua tauri,
Quamvis longa fames stimulet, leo; nunc ferus alta
Surgentes cervice toros, nunc torva sub hirta
Lumina miratur fronte, ac iam signa moventem
Et sparsa pugnas meditantem spectat arena.

Verg. Aen. X. 454 seq.

utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem proelia taurum,
Advolat.

Res comparata utroque loco par est. Hic enim Turnus aggreditur Pallanta, illic Mago Appium. Differunt tertia comparationis, cum Vergilius ferociam impetus exprimat, Siliana autem comparatione stupor atque metus aggredientis describatur. Silius amplificavit suum locum et splendidis coloribus exornavit, ut delineamenta tantum Vergiliana apud eum inveniantur.

Et re comparata et tertio comparationis discrepant ab iis, ex quibus sunt haustae, hae comparationes:

Sil. I. 421 seq.

Fulmineus ceu Spartanis latratibus actus,
Quum silvam occursu venantum perdidit, hirto
Horrescit saetis dorso et postrema capessit

Proelia, canentem mandens asper ore eruorem;
Jamque gemit geminans contra venabula dentem.

Verg. Aen. X. 707 seq.

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit multosve palus Laurentia, silva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventumst,
Substitit infremuitque ferox et inhorruit armos,
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus,
Sed iaculis tutisque procul clamoribus instant;
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas.

Silius celebrat Murri in hostes irruentis impetum, Vergilius timorem eorum, qui Mezentium aggredi non audent. Contraxit Silius locum Vergilianum et ea, quae ab illo novem versibus tractantur, quinque absolvit. Vergilius petivit suum locum ab Homero, qui Ulyxem a Troianis circumventum comparat cum apro Il. XI. 414 seq. Haud scio an apud Silium quoque inveniatur imitatio loci Homerici, dico Il. XIII. 471 seq.

Sil. XII. 6 seq.

Ceu condita bruma,
Dum Rhipaea rigent Aquilonis flamina, tandem
Evolvit serpens arcano membra cubili,
Et splendente die novus emicat atque coruscum
Fert caput et saniem sublatis faucibus efflat.

Verg. Aen. II. 471 seq.

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis nitidusque iuventa
Lubrica convolvit sublato pectore terga,
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.

A Silio Hannibal, qui vere ineunte proficiscitur, a Vergilio Pyrrhus pugnans comparatur. Similis locus extat apud Silium XV. 447 seq., qui non minus redolet Vergilium.

Neque vero solis comparationibus aliorum poëtarum usus est Silius ad suas componendas, sed etiam e descriptionibus vel e narratione pauca decerpsit. Ad hoc genus pertinent hi loci: Sil. II. 73—76, qui fluxit ex his Vergilianis: Georg. IV. 461 seq. Aen. I. 316 seq. et XI. 659 seq. et Sil. VIII. 279 seq. in quo scribendo ante oculos videntur poëtae nostro fuisse: Verg. Georg. I. 512 seq. et Aen. V. 146 seq. et descriptio illa, quae Georg. III. 103 seq. invenitur.

Restat ut nonnullas in medium proferamus comparationes, quae e sola narratione vel descriptione manaverunt. Sil. V. 384 seq. consulis impetum comparat cum tempestate, singula mutuatus a Vergilio, qui Georg. I. 328. seq. tempestatem describit.

Egregium exemplum invenies apud Sil. IV. 302 seq. ubi Celtarum fuga, qui occiso duce terga vertunt, comparatur cum animalium fuga incendio facta; hic enim Vergiliana incendii descriptio, quae Georg. II. 303 seq. legitur, expressa est.

Tenuissima imitationis vestigia sunt his in locis: Sil. III. 410 seq. et Verg. Aen. V. 819 seq., Sil. VII. 254 seq. et Verg. Aen. II. 124. —

Quamquam ex eis quae proposui facile intellegi potest, quam Silius in exprimendis exemplaribus rationem sit persecutus, tamen clarior forsitan existat imago, si ea, quae invenimus, in uno conspectu ponimus.

Ac primum quidem pauca dicenda videntur esse de iis poëtis, quos Silius est imitatus. Quamquam non omnes comparationes tractavi, quas ab aliis poëtis petivit, tamen elucet ex iis, quos attuli, praeter ceteros eum adamasse Vergilium. Praecipue ex Aeneide duxit locos, sed etiam Georgicis usus est. (Aen. X. 270 seq. — Sil. I. 461 seq.; Aen. IX. 710 seq. — Sil. IV. 295 seq. Aen. XII. 715 seq. — Sil. IV. 372 seq.; Aen. X. 454 seq. — Sil. V. 309 seq.; Georg. IV. 433 seq. — Sil. II.

215 seq.; Georg. II. 303 seq. — Sil. IV. 302 seq.; Georg. I. 328 seq. — Sil. V. 384 seq.)

Ubi Vergilius ipse aliorum premit vestigia, illius locis, quam fontibus, e quibus deducti sunt Vergiliani loci, uti mavult:

Apollon. Rhod. III. 756 seq. — Lucret. IV. 212
Vergil. Aen. VIII. 22 seq.
|
Sil. VII. 143 seq.

Hom. Il. XXI. 362 seq.
|
Verg. Aen. VIII. 462 seq.
|
Sil. V. 605 seq.

Ab Homero petivit paucos locos; ex Odyssea vero nullam, quantum scio, hausit comparationem. (Iliad. XIV. 393 seq. — Sil. IX. 281 seq.)

Nonnullis locis alia ab aliis poëtis decerpsit. cf. Sil. I. 421.

Versatur vero Silius ita in aliorum comparationibus imitandis, ut aut res comparata et tertium comparationis consentiant cum exemplari, aut res comparata mutetur, aut tertium comparationis mutetur, aut res comparata una cum tertio comparationis mutetur.

Item in suis comparationibus componendis utitur Silius descriptionibus aut ex narratione ipsa ducit suas similitudines.

Saepius amplificat eos locos, quos apud alios invenit, et colores eis addit: Verg. Aen. IX. 339 seq. — Sil. II. 683 seq.; Verg. Aen. X. 454 seq. — Sil. V. 309 seq.; Il. XIV. 393 seq. — Sil. IX. 281 seq.; alios contrahit: Verg. Aen. VII. 462 seq. — Sil. V. 605 seq. — Verg. Aen. X. 707 seq. — Sil. I. 421 seq.

Nonnullae comparationes Silianae, quamquam rebus vel personis mutatis ab exemplaribus abhorrent, tamen cogitationum ordinem accurate sequuntur: Verg. Aen. XII. 715 seq. — Sil. IV. 372 seq.

Nonnunquam decedit ab exemplari, quod eam sententiam, quae in illo primaria est, facit secundariam: Verg. Aen. X. 603 seq. — Sil. VI. 321 seq.

Jam videamus, quomodo singulas res imitatus sit et quibus artificiis in exemplaribus suis exprimendis sit usus. Neque vero omnia complecti in animo mihi est, sed usitatissimas res afferre habeo satis.

Omittitur a Silio, quae extat in exemplari temporis significatio:

Verg. Aen. X. 272: non secus ac liquida si quando nocte cometae;

Sil. I. 461: Crine ut flammifero terret fera regna cometes;

vel significatio loci:

Verg. Aen. X. 707: de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit multosve palus Laurentia silva.

Sil. I. 421: Quum silvam occursu venantum perdidit aper;

aut, ubi in exemplari eae significationes non insunt, a Silio adiciuntur:

Verg. Aen. II. 472:
Frigida sub terra quem bruma tegebat;

Sil. XII. 6:
condita bruma Dum Rhipaea rigent Aquilonis flamina
Evolvit serpens membra;

Verg. Aen. X. 406: ac velut —
Dispersa immittit silvis incendia pastor;

Sil. IX. 605:
Non aliter Pindo Rhodopeve incendia pastor quum iacit;

aut, quam in exemplari invenit loci significationem, eam reicit et aliam pro ea usurpat:

Verg. Aen. IX. 710:
Talis in Euboico Baiarum litore;

Sil. IV. 295:
Haud aliter structo Tyrrhena ad litora saxo.

Haud raro, ubi in exemplari complures insunt notiones, unam tantum in suum convertens usum, reliquas aut abicit, aut aliis ad illas supplendas utitur:

Verg. Aen. VIII. 23:
Sole repercusso aut radiantis imagine lunae;
Sil. VII. 143:
Sicut aquae splendor radiatus lampade solis;
Verg. Aen. X. 272:
si quando nocte cometae
Sanguinei lugubre rubent aut Sirius ardor;
Sil. I. 461:
Crine ut flammifero terret fera regna cometes;
Verg. Georg. I. 331:
ille flagranti
Aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo Deicit;
Sil. V. 386:
molitus . . . altas
Fulmine nunc Alpes, nunc mixta Ceraunia telo;

aut complures notiones affert, cum in exemplari una tantum extet:

Verg. Georg. I. 329:
quo maxima motu
Terra tremit;
Sil. V. 384:
Intremuere simul tellus et pontus et aether
Ipsaque commoto quatiuntur Tartara mundo.

Particulas et coniunctiones, quibus comparationes introducuntur, omnibus locis variavit neque invenias ullum locum, qui hac ratione consentiat cum exemplari. Excipiendae vero sunt ii loci, quorum primus, versus vel primum hemistichium ad verbum translatum est:

Verg. Aen. II. 471: Qualis ubi —
Sil. XII. 6: Ceu dum —
Verg. Aen. X. 454: Utque quum —
Sil. V. 309: Haud secus quum —
Verg. Aen. X. 803: Ac velut si quando —
Sil. VI. 321: Sic ubi —

Hemistichia transtulit:

Verg. Aen. X. 805: Omnis et agricola et —
Sil. VI. 324: Omnis et agricola et —

Verg. Aen. XI. 659: Quales Threiciae —
Sil. II. 73: Quales Threiciae —
Verg. Aen. XII. 331:
Qualis apud gelidi — — ◡ ◡ — ◡ ◡ Hebri;
Sil. XVII. 487:
Qualis apud gelidum — — ◡ ◡ — ◡ ◡ Hebrum.
Totus versus fere concinit:
Verg. Aen. VIII. 589:
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda;
Sil. VII. 639:
Qualis ubi Oceani renovatus Lucifer unda.

Singula verba transfert Silius haud raro ita, ut eodem in loco ea ponat, quem obtinent in exemplari:
In quinta sede versus:
Verg. Aen. VII. 465: exuberat amnis;
Sil. V. 605: exuberat undis;
Verg. Aen. X. 408: Vulcania campos;
Sil. IX. 608: Vulcanius ardor;
In sexta sede versus:
Verg. Aen. VII. 463: aëni;
Sil. V. 606: aëno;
Verg. Georg. II. 303: ignis;
Sil. IV. 305: ignis;
Verg. Georg. II. 308 (et 309): atram (— nubem);
Sil. IV. 303 (et 304): atram (— pestem);
In pede quinto et sexto:
Verg. Aen. X. 406: incendia pastor;
Sil. IX. 605: incendia pastor;
In pede sexto et in primo pede sequentis versus:
Verg. Aen. X. 272:
cometae Sanguinei lugubre rubent;
Sil. I. 461:
cometes Sanguineum spargens ignem;
In medio versu:
Verg. Aen. X. 455: meditantem in proelia taurum;
Sil. V. 315: meditantem spectat arena;
Verg. Georg. II. 309:

Ad caelum pĭcĕā crassus cālīgĭnĕ nubem;
Sil. IV. 306:
Nigranti pĭcĕŭs sensim cālīgĭnĕ vertex.

Epithetis, quae invenit in exemplaribus, haud raro usus est, sed ita, ut ad alia substantiva trahat:

Verg. Aen. VIII. 22: tremulum lumen;
Sil. VII. 145: tremula umbra;
Verg. Aen. VIII. 23: radiantis imagine lunae;
Sil. VII. 143: splendor radiatus lampade solis;
Verg. Aen. X. 272: cometae Sanguinei;
Sil. I. 461: cometes Sanguineum spargens ignem;
Verg. Georg. I. 332: alta Ceraunia;
Sil. V. 385: altas Alpes;
Verg. Georg. II. 304: pingui . . . sub cortice;
Sil. IV. 307: pingui . . fumo;
Verg. ib. v. 308 et 309 atram — nubem;
Sil. ib. v. 303 et 304: atram — pestem;
Verg. ib. 309: picea — caligine;
Sil. ib. 306: piceus — vertex.

Ubi substantiva transfert, quae in exemplaribus extant, alia eis tribuit epitheta:

Verg. Aen. IX. 711: saxea pila;
Sil. IV. 297: pila ardua;
Verg. Aen. X. 454: specula ab alta;
Sil. V. 309: e specula opaca.

Nonnunquam addit epitheta eis substantivis, quae nuda in exemplaribus extant:

Verg. Aen. X. 134: Qualis gemma micat;
Sil. VIII. 467: ut micat ignea gemma;
Verg. Georg. X. 707: aper,
Sil. I. 421: Fulmineus aper.

Saepe rem suam variare studet Silius synonymis, quae vocantur, usus vocibus pro eis, quae in exemplari sunt:

a, substantivis synonymis utitur:

Verg. Aen. II. 471: coluber;

Sil. XII. 8: serpens;
Verg. Aen. VII. 464: aestu, ib. latices;
Sil. V. 605: fervore, ib. liquor;
Verg. Aen. X. 455: meditantem in proelia;
Sil. V. 315: pugnas meditantem.

b, verbis synonymis utitur:
Verg. Aen. VIII. 25: ferit lacuaria;
Sil. VII. 145: laquearia verberat;
Verg. Aen. X. 454: cum vidit;
Sil. I. 311: cum conspexit;
Verg. Georg. IV. 434: reducit;
Sil. II. 215: agit.

Nonnumquam alias compositiones eorum verborum usurpat, quae in exemplari sunt, vel simplicibus verbis utitur pro compositis:
Verg. Aen. II. 471: convolvit;
Sil. XII. 8: evolvit;
Verg. Aen. X. 711: inhorruit;
Sil. I. 423: Horrescit.

Ubi eadem substantiva habet, quae in exemplari sunt, variat numerum:
Verg. Aen. IX. 710: in Euboico littore;
Sil. IV. 295: Tyrrhena ad littora;
Verg. Aen. X. 270: cometae;
Sil. I. 462: cometes.

Non raro variat ordinem eorum verborum, quae sumpsit ab aliis:
Verg. Aen. VIII. 25: ferit lacuaria;
Sil. VII. 145: laquearia verberat;
Verg. Georg. I. 514: fertur equis auriga;
Sil. VIII. 279: Auriga Impar fertur equis.

Sed haec hactenus. Si quaerimus, quid de vita Silii Italici e comparationibus possit hauriri, necesse est recurramus ad eas, quae ipsius ingenio debentur.

Ex his pleraeque gubernatorum, nautarum, piscatorum, pastorum vitam respiciunt. Deprendimus vero

illis in locis tantam rusticorum negotiorum cognitionem, ut mihi persuasum sit, saepius nostrum poëtam in his rebus esse versatum, quod quidem mirum esse non potest, cum Plinius complures Silium possedisse villas auctor sit. —

Vita.

Guilelmus Barchfeld natus sum a. d. IV. Nou. Dec. anni h. s. LVI in pago Nieder-Kaufungen, patre Jacobo, matre Charlotta, e gente Leitheuseriana, quibus superstitibus gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus per tredecim semestria frequentavi gymnasia Casselanum et Corbacense. Maturitatis testimonio instructus me contuli Marburgum, ubi philologicis et archaeologicis vacarem studiis. Per tria semestria ibi me docuerunt proff. illustr.: Caesar, Nissen, Schmidt, de Sybel. Deinde adii almam matrem Georgiam Augustam, ut studia mea continuarem. Ibi operam dedi viris doctissimis hisce: Baumann, Bernheim, Dilthey, de Duhn, Fick, de Leutsch, Lotze, Guil. Mueller, Pauli, Peipers, Sauppe, Wieseler. Sodalis ordinarius fui et seminarii regii philologici et archaeologici Gottingensis. Praeceptoribus meis quum omnibus, tum Diltheyo, Sauppio, Wieselero, qui nunquam mihi neque consilio, neque opera defuerunt, gratiam habeo quam maximam et semper habebo.